Accepi libellum à te perelegantem eum, in quo tu summo studio veterum fragmenta poetarum, quasi aliquas ex foeda tempestate tabulas collegisti. In quo eodem nescio iudicij ne, an amoris erga me tui magnitudinem rim potius admiratus. iudicij, quod ex ea re litterarum ad me mittendarum occasionem quaesieris, cuius me magnopere studium delectaret. amoris, quod me eiusmodi munere ad simile erga te obeundum litterarum officium, quod tibi gratissimum fore significas, provocaris. Ego vero cum librum ipsum valde probarj, tum causam, quae te ad eum mittendum impulit, multo magis. neq; enim illustri, mihi crede, tua erga me benevolentia ad voluptatem quidquam suavius, neq; iis, quae à diligentia ingenioq; tuo proficiscuntur, ad usum accommodatius aliquid mihi potest contingere. Itaq; dolco in primis, me tandiu Xenophontis illius tui Graec Latinig; iucundissimo fructu carere, quem te ad me misisse binis iam litter reptis. Neq; vero ego solus hoc conficior desiderio, sed familiares mej omnes, qui his deditj studijs sunt, ita te, tuosq; labores amant, ut nullam rem vehementius cupiant. Quamobrem scire. aucmus omnes, quae ex officina tua, praeter ea, quae nunc ad te descripta mittimus, industria tua monumenta prodierint. ut ea sibi quisq; cognita comparare possimus Ego, quod de me quaeris, his diebus de rep. Atheniensium magnum sane opus institueram, eo consilio, ut aliquando Atheniensium res non minus quam Romanorum, mea ornata, ac illustrata industria posteris proderentur. sed me praeter quotidianas occupationes multa iam è medio procursu revocarunt. proxime vero, quod à Bononiensibus honestis primijs in Academiam suam accitus, eo iam propè totus animo incumbebam.

Vbi si quid inciderit, quod ad tua commoda pertinere intellexero, noli putare, me amicitiæ nostræ, cuius memoria apud me sanctissime custoditur, vllo vnquam tempore defuturum. Vale. Patauio. Kal. Quinctil. M. D. LXIII.

Tui Studiosissimus Carolus Sigonius

Mag.co viro Dno. Henrico Stephano

Dno meo obseruandiss.o